

FESTUM RESURRECTIONIS  
 QVOD  
**CHRISTO REDIVIVO**  
 ET  
 MORTIS IN MORTE VICTORI  
**VICTO INVICTO.**

QVOTQVOT CUM EO RESURGERE  
 ET VIVERE AMANT

PIE LIBARE DEBENT

EX COELESTIS GENII PRÆCONIO

(MARC. XVI. 6. EXPRESSO)

INDICIT.

M. JACOBUS *Wilde.*

El. Hist. & Gr. L. P. P.

---

R I G Æ

TYPIS NÖLLERIANIS,



**R**Egium plane & egregium servata, quam dederat, fidei exemplum M. Attilius Regulus edidit, cum infidiis Pœnorum captus, Punica tamen fide cum iis agere noller, sed missus ad suos, qui persuaderet, *ut ex se uno & sene complures Pœnorum juvenes pensarentur,* Carthaginem repeteret, & vitam potius quam fidem amittere vellet (a) Sed Regulum hunc fuisse fatebitur, qui *Regum omnium Principem* (b) cognoverit. Cognoscas autem licebit, ex unico Regiæ virtutis indicio, tanquam ex ungue *leonem.* (c) Quæ enim, pro hominum fidem! fidei constantia est, quæ cruciatus acerbissimos & morti succumbere atrocissimæ, cum *recepisset,* (d) non defugiebat, licet insurgentes undiq; procellas prævideret, capitis sui periculum, quin præsentissimam mortem prænosceret (f) & proditorem vitæ suæ exserto quasi pollice demonstraret. (g) Neq; animi impotentia in omnipotente Rege, quæ Regulo fuit, quærenda. Haud etenim hostibus suis commori, *Princeps vita* (h) odio, quò ille quidem urebatur, præposterò, cupiebat, & inferiâs Manibus suis [quæ immanitas!] ex horum parare sanguine. Quin ille *vel hostium vitam vitæ suæ dispendiò redimit.* (i) *Eccum Regem Regum,* (k) cui Reguli omnes, Codri (l) Decii (m) Curtii (n) quin & Simões (o) concedere palmam coguntur! Hi enim omnes, pars hostium odio quodam Vatiniano, pars immensâ gloriæ cupiditate moti sponte sua moriuntur, immortalitatem nomini suo condituri: Hic immortalitate gaudens moritur. Sed neq; plane intermoritur, qui *mortem suâ inferabat morte.* (p) Torpet amisso aculeo aspis

vene-  
(a) Valer. Max. l. 1. c. 1 p. m. 6. (b) Apoc. 1. v. 5. (c) Apoc. 5. v. 5. (d) Es. 53 v. 9. & fl. (f) Luc. 24 v. 7. Matt. 17. v. 22. (g) Matt. 26 v. 25. (h) Act. 3. v. 15. (i) Rom. 5. v. 10. (k) Apoc. 19. v. 16. (l) Justin. l. 2. c. 6. (m) Livius l. 8. c. 9. (n) Id. l. 7. c. 6. (o) Jud. 16. v. 26. & fl. (p) 1. Cor. 15. v. 54.

venenata; Nec mors superata, quò Victorem enecat, habet. (q) Epimenidem ferunt Cretensem à prima pueritia in seram usq; senectutem dormiendo, totam fere vitam una exegisse nocte (r) Mirabilem certè somnum, quem totum nil nisi somnium esse dicerem, si fidem tot Auctoribus omnino detrahere auderem! Sed totus obstupesco, ubi Christum, qui in cruce sua longè obdormiverat altius, omni torpore tam subito excusso, non post quinque demum lustra, sed *post triduum* evigilasse confidero. Scilicet innocuum video ex hiantibus immanis beluæ faucibus prodire vatem? (s) An Jhneumonem, paulo ante in luto miserè volutum, ex horrendo terribilis Crocodili ventre opima corrofi pectoris spolia referentem video? Video certè nec immerito hac ingeniosissimi Lucarini epigrahe notatum video: *Esus exesus & exit.* (t) Nam & Christus luto ante ac sputo hostium impurissimo quasi incrustatus, tanquam offa morti cedit inexplibili, at mox vix semesius devorantis viscera exedit exceditq; illæsus, adeò ut mors ipsa vix

- - *Celeri fugâ sub sidera lapsa  
Semesiam pradam & vestigia facta relinquat.* (u)

Hem! omnem humanæ rationis captum superat hæc, quam Salvator lutea armatus lorica reportavit victoriam. Mortem illam invictam, illam fati inflexibilis Imperatricem, illam mortalium omnium, qui vel latissimè victrices circumtulere aqvilas, unicam victricem, ab hoste superari devicto? Quæ tanta virorum alacrium confidentia est, ut hanc vel animo complecti victoriam aufit? Ut non mireris, mulierculas imbelles atq; meticulosas Salvatorem in sepulcro quærare, quem in ditionem venisse mortis noverant. Sed nè quærite credulæ *vitam inter mortuos* (v) *lucem* in cæcis caliginosi tumuli tenebris!

(q) 1. Cor. 15. v. 55. (r) Plutarch. in Comm. an seni sit gerenda resp. c. 4. p. m. 352. Plin. l. 7. c. 52. Diog. Laërt. in Epimen. l. 1. p. 77. (s) Jon. 2. v. 11. (t) Ap. Picin. in Mund. Symb. lib. 8. c. 11. Embl. 215. (u) Virg. Æn. 3. v. 244. (v) 1. Joh. 1. v. 2.

nebris! (x) Eccum radios, quos oriens sparfit! Angelum enim lucis conspicitis, *Luciferum* (y) qui ortum vobis solem demonstrat, qui amotò saxo (z) suo fulgore, *quò fulgure splendidior est*, obscuram collustrat cavernam, ut inspicere queatis & quod animo non capit, vel oculis accipere gaudium. Hunc quæso né planta fugiat vestra, nec refugientia identidem lumina expavescant! Vobis enim adest lux atq; Dux; Non Christo Custos, cuius vel in morte potentia sibi met ipsi validissimè patrocinari poterat. Vobis ille molem amolitur faxeam, non Christo, cuius omnipotentia

*per medios ire satellites*

*& perrumpere Saxa amat* (aa)

Quippe dudum ille surrexit, licet lapide supra sepulcrum adhuc positò. (bb) Ut ut enim hicce resurgentis Triumphatoris Præco, voce *ἠγέρθη* quâ suum facit præconium, eum excitatum esse, innuat, attamen à nemine, nisi à divina omnipotentia fuit excitatus, quâ sese ipsum excitavit, id quod ex Græcò, quò loquitur, idiomate haurire per est facile (cc) Eat ergo & mimicâ quadam ratione redivivum suum fingat atq; pingat Virbium fabulosâ gentilitas, cui Epidaurius ille heros lumina restituerit extincta! (dd) Noster sane Heros heroicâ suâ excitatus virtute surrexit. Eat & Neronem è fatali ac ferali cellula reducem mentiatur, metiaturq; sua fallacis spei præmia impostor! (ee) Noster sane mortis atq; vitæ arbiter verè surrexit, nec ulla subest impostura, fraus nulla, Angelò etiam testimonium perhibente & notanter exclamante: *ὅτι ἔστιν ὁ δέος*. Non est hic. Subrideat forte ad hoc testimonium &, ut sunt nasutuli, naribus etiam aduncis indulgeat quispian ex Calvinii affeclis, ratus se in eo reperisse, ut cum Comico lo-

quar,

(x) Joh. 8. v. 12. (y) Jobi. 38. v. 7. (z) Matt. 28. v. 2. (aa) Horat. l. 3. Carm. od. 16. (bb) Theophyl. ad Matt. 28. v. 2. Conf. m. Raup. Bibl. port. l. 3. p. 6. ad. h. l. (cc) Aoristum l. Pass. ap. Græcos etiam activè significare docet. Franc. Vigerus de Idiotism: Gr: Ling: c. 5. Sect. 1. Reg. 13. & Sect. 3. Reg. 14. (dd) Conf. Eurip. & Senec. in Hippol. (ee) Sveton. in Ner. c. 57.

quar, *quod pueri non in faba*, (ff) eò quòd Domini, quam tot thesibus stabilimus, subvertat præsentiam, eamq; à sepulcro arceat, quam ubiq; veneramur gentium. (gg) Sed non est, quòd inde tantopere sibi placeant Calvinisequæ & in sinu gaudeant. Si enim ipsi animo fuerint præsentem, absentem certè Dominum neq; in sepulcro neq; in cœlestis genii verbis repræsentari nullo advertent negotiò. Quem enim adesse negat Angelus, nisi *τὸν Ναζαρεθὸν τὸν ἐσκαρπαμένον* [Jesum Nazarenum crucifixum] illum certè, qualem à Josepho huic inferri tumulo viderant, præsentem non cernebant, frustra quærentes *vivum cum mortuis*, (hh) quippe præter vacuum speluncam nihil capiebat oculus: At Theandrum, qui vel in ipso sepulcro timidus mentes sua virtute repleverat, oculis fidei jam tum ubiq; præsentem atq; conspicuum accipiebant. Quid? quòd Doctor Paschalis stupendum resurrectionis modum, quò Christi resurrectio, omnia superabat miracula hicce verbis adumbrare velit. Refricat enim memoriam omnium, qui virtute salvatoris vividâ ante hac in vitam erant revocati, & quantò notabilior in hac Christi resurrectione virtus sese exserat innuit. Viderant certè & audierant ad iustum alios, alios ad nutum Salvatoris surrexissè foeminae Duce pietate Christum secuta: Adolescentem Nainiticum, (ii) juvenulam Jairi (kk) Lazarum (ll) &, qui Prophetæ quondam ossa contingebat, hominem, (mm) sed omnes denuò morituros & in sepulchrum reverfuros. Solus autem Christus ita surrexit, ut non sit hic, neq; sit futurus (nn); Id enim verbis Angeli hujus insinuari, ex lingvæ Græcæ idiotismo, quò eadem sæpe formula & præsentia indigitat & ventura prænunciat, habeo pervasum. (oo) Sed fallor, aut plus est in illo Angeli: Non est hic. Si enim suâ resurrectione Christus & nos à *mortis*

rede-

(ff) Plaut. Aulul. Act. 5. sc. 1. v. 9 (gg) Vide Sohnum Tom. 2. p. 505. & Raup. l. c. ad Matt. 28. v. 6. (hh) Luc. 24. v. 5. (ii) Luc. 7. v. 14. (kk) Marc. 5. v. 41. (ll) Joh. 11. v. 43. (mm) 2. Reg. 13. v. 21. (nn) Rom. 6. v. 9. (oo) Conf. Viger. l. c. in Append. p. 400.

redemit *vinculis*, (pp) nonne *cum eo nos resurgere* decebit? Decet sane. Quin debet cum eo resurrexisse, qui cum eo vivere æternum gestit. (qq) Neq; est, quòd quæramus, quì surgere nos oporteat vivos? Labimur enim quotidie, Imò & morimur in peccatis, adeoq; mortuis longè sumus deteriores. Habitat anima peccatis infecta, quinimo infecta in hoc corporis gurgustio tanquam in sepulchro, de quo etiam Psalmista conqueritur (rr) Scilicet videtur idem nobis evenire, quod de cœlo tactis contingit, qui licet intrinsecus plane conflagrarint, extrinsecus tamen speciem viventis atq; illæsi corporis referunt. Sic enim peccatis animam homo conficitur, dum corpus hujusce mundi voluptates maximè titillant, nec secus

- - *quam qui Jovis ignibus ictus,*  
*Vivit & est vita nescius ipse sua.* (ss)

Peccato enim circa hominis animam eadem competit vis, quam fulmini Seneca tribuit hisce: *Mira fulminis, si intueri, velis opera sunt, nec quidquam dubii relinquentia quin divina insit illi & subtilis potentia: Loculis integris & illesis, conflatur argentum;* (tt) id quod etiam exemplò non unò confirmant Auctores. (uu) Ictæ itaq; fulmine peccati anima, moritur: Resurgat! quâ ope? ope pœnitentiæ, quâ ratione? Id verò docent Angeli verba: Nè sit amplius hic! E corporis quidem claustro ante novissimam ἀνάλυσιν mortis emigrare, nequit; ast in eadem tamen peccatorum pice hærere non cogitur. Væ autem nobis, quòd *canes imitemur ad vomitum redeuntes, & sues in volutabrum sese precipitantes!* (vv) Quadrat certe in nos illud Poëtæ:

*Saucius ejurat pugnam gladiator, & idem*  
*Immemor antiqui vulneris arma capit:*

Nil

(pp) Pf. 106. v. 3. & 8. (qq) Col. 3. v. 1. (rr) Pf. 143. v. 3. (ss) Ovid. l. 1. Trist. El. 3. (tt) Senec. Quæst. nat. l. 2. c. 31. (uu) Plut. in Symp. l. 4. Quæst. 2. §. 2. (vv) 2. Pet. 2. v. 22.

*Nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus unda*  
*Et ducit remos qua modo navit aqua.* (xx)

Qui enim semel atq; iterum, quasi in arcam Noachi recepti feliciter ex hoc mundi diluvio ac fatalibus peccati fluctibus enatavimus, attamen denuo nos immergimus, adeò, ut *capita*, quod Propheta quæritur, quasi *aquis peccatorum obruantur*. (yy) Qui iterum iterumq; secunda cum hostibus animæ nostræ *fecimus pralia* (zz) & à *vulneribus nostris convaluimus*, (aaa) attamen nova certaminis discrimina adire haud cessamus, usq; dum tandem eveniat nobis idem, quod quondam Henrico II. Galliarum Regi, qui, cum pridie in certamine equestri summa laudum atq; palmularum puncta tulisset, postera luce dissvadente Regina iterum decertaturus, hisce infelix sibi fati fuit augur: *Semel adhuc, nec amplius*: siquidem oculo ab hasta læso, cum lumine vita extincta est. (bbb) Similes eò ipso reddimur muscis, quæ mellis dulcedine inescatæ, aliquoties ab alveari abactæ, usq; revertuntur, donec in dulcissimo sibi liqvore hærentes, à supervenientibus oppressæ, in ipso dulcore mortis amaritudinem experiantur: Ita enim peccatorum ac voluptatum illecebris capimur, atq; irretimur, ut nosmet tandem expedire vix queamus & miserè pereamus: Attamen cum Claudio Imperatore hóc boletò tantopere delectamur, quò exitio inhiantes nostro perimus (ccc) Neq; injuria nobis fit, si cum aviculis comparamur Annonis, quæ, teste Ælianò, (ddd) in obscura alebantur cavea, ut hæc voces edoctæ: *θεός ἐστιν Ἄννων* [Deus est Annon] Domini cantillarent laudes; sed ad sylvas dilapsæ, consuetum sibi garritum ingeminarunt.

Ita

(xx) Ovid de Pont. l. 1. El. 6. (yy) Pf. 38. v. 5. (zz) Ebr. 12. v. 4. 2. Tim. 2. v. 5. (aaa) Jerem. 30. v. 17. (bbb) Engelgr. in luc. Ev. ex Garf. tom. 1. p. 512. Conf. m. Thuan. rem paulò aliter referentem lib. 15. hist. sui temp. tom. 2. part. 1. p. 694. Ed. Paris. (ccc) Sveton. in Claud. c. 44. (ddd) lib. 14. c. 30.

Ita enim homines, ubi vix à peccatis resipuere & tribus, quod dicitur, verbis gratiam, à reconciliato sibi Numine exhibitam, decantant, mox prisci tenoris vaniloquia repetunt, &, ut Poëta loquitur *chordâ oberrant eadem*. (eee) Inde quidam singulari inter sui ordinis socios ingenio & acumine Jesuita (fff) homines peccata sua identidem iterantes sub imagine avium in poculis nidificantium sistit depictos, subjecto lemmatis loco illi Poëtæ hemistichio: *Venient ad pocula rursus*. (ggg) Scilicet illudit nobis Satanas, ut pueri aviculis solent, quas tenui filo alligatas tenent, & interdum paululum avolare passim, mox retrahunt, usque dum longo fatigatas lusu enecent: Ita Cacodæmon ille infestus, quoties retribus peccatorum, quæ nobis tetendit, nos subduximus, toties novis nos illicit voluptatibus, & velut captam aviculani ad sese retrahit, usque dum in æternam nos asserat servitutem, ex qua in libertatem nos vindicare non possumus, ut DEus O. M. salutis nostræ cupidus non possit non vicem dolere nostram, quod *sicut aves avolare verimus*. (hhh) Ast nunc jam *laqueus contritus est, & nos sumus liberi* (iii) postquam Christus redivivus mortem æque ac peccata atque Satanam triumphavit (kkk) *Surgamus* ergo cum illo è peccatorum tumultu, *nec simus amplius hic*, ubi sordibus sepulti ac obruti jacuimus! P. P. Dom: Resurrect:

Anni MDCCIV.

(eee) Hor. in arte Poët. v. 356. (fff) Engelgr. in luce Evang: Embl. 22.  
 (ggg) Virg. Ecl. 8. v. 28. (hhh) Hof. 9. v. 11. (iii) Ps. 124. v. 7. (kkk)  
 1. Cor. 15. v. 54. & ff.

*Hac sicut nosse surrexit luce Redemptor  
 sic à peccatis surgere quædam debet.  
 Ipsum se propria Christus virtute levavit  
 Ast eget auxilio Flamini omnis homo.*